

randum proxime, vel etiam immediate, subreptioni honorum proximi, non peccat neque contra caritatem, neque contra justitiam. *S. Lig. n. 571.* Negant tamen multi, si agatur de furto in materia valde gravi, contra dominum, quia hic in hujusmodi cooperationem consentire non tenetur. *V. Comp. n. 687.*

CASUS X.

PARTICIPANS 2°.

TITULUS, puerulus triennis, graviter ægrotabat cum TITIO patre. Prior e vita cessit filius; tribus post horis subsecutus est genitor. Uterque in tumulo eodem consepultus fuit. Ast subinde MŒVIA mater, adhibitis quatuor falsis testibus, asserit maritum ante filium vitæ valedixisse, et consequenter se filii hæredem esse. SILVERIUS causidicus primum, bona fide, causam MŒVLÆ tuetur. Detecta autem rei veritate pergit in causa dicenda, innitendo in testium depositione: *Videte, judices, ait, cum unanimes testes sint, qualis sententia sit a vobis ferenda.*

HINC :

QUÆR. 1° *Quid de MŒVIA et testibus dicendum?*

2° *Quid de SILVERIO?*

SOLUTIO :

679. — *R. ad 1^m Quærs.* Omnino damnanda est MŒVIA, et primario quidem ad restitutionem hæreditatis erga hæredes mariti sui, quia minime fuit hæres filii sui, quippe qui ante patrem vitæ valedixit. Testes vero, cum scienter iniquitati MŒVLÆ sint cooperati, et causam efficacem damni per falsum testimonium posuerint, secundo tenentur. *V. Comp. n. 686.*

680. — *R. ad 2^m Quærs.* Quid vero de SILVERIO causidico? Male egit, et peccavit contra justitiam erga hæredes TITI defuncti. Etenim, juxta sententiam communem Doctorum, causidicus qui advertit causam quam tuetur esse injustam, eam deserere debet, licet jam fuerit incepta, quia secus injustitiæ patrocinator. Nec obstat quod SILVERIUS in fine causæ dicendæ se negative tantum habuerit, innitendo tantum in testium depositione; quia motiva quæ prius proposuit pergunt in mentem judicum influere. Insuper neque ipsi licuit invocare testium depositionem, cum sciret falsum esse eorum testimonium. *Elbel, de Statibus, n. 765.*

CASUS XI.

COOPERATIO NEGATIVA 1°.

1° BALDUS, paterfamilias, modo ex gravi negligentia, seu videns et tacens, modo ex aliqua incuria, non impedivit damna vicinis, sive ab uxore, sive a filiis vel famulis illata, quamvis ea impedire facile potuisset. Requirentibus autem damnorum reparationem, frigide respondet: se nemini nocuisse. — Cum ejusdem filiolus vas aliquod pretiosum CAPRASHI fregisset, hunc pretium requirentem furca domo expulit.

2° SABELLUS TITYRO pastori gregem custodiendum commiserat. Cum autem TITYRUS semel obdormivisset, et alia vice a sociis nugantibus ad arborem invitatus alligatus fuisset, grex HILARI agrum in utroque casu vastavit. HILARIUS vero damni reparationem a SABELLO requirit.

HINC :

QUÆR. 1° *Ad quid teneantur cooperatores negativi?*

2° *An paterfamilias uxoris et filiorum damna resarcire debeat, etiam ante judicis sententiam?*

3° *An dominus, vel magister, reparare debeat damna a subditis illata?*

4° *Quid de BALDO et SABELLO?*

SOLUTIO :

681. *R. ad 1^m Quærs.* Cooperatores *negativi*, seu ii qui obligantur ex officio impedire damnum proximi, et ex culpa gravi non impediunt, ad restitutionem tenentur; quia ex munere, ideoque ex contractu implicito, et proinde ex justitia, invigilare et damna impedire debent.

R. ad 2^m Quærs. Dist. Paterfamilias damna subditorum reparare debet ex justitia, si ex silentio graviter culpabili animum vel audaciam eis addiderit, quia tunc fit vere cooperator *positivus*. Non tenetur vero ante judicis sententiam, quoties a culpa theologica immunis est, ut sequitur ex principiis, v. g. si ante factum prorsus ignoraverit hæc damna faciendæ esse. Imo, *probabilius* etiam a restitutione erit excusandus paterfamilias *in foro interno*, si nullatenus in damnum influxit, v. g. si filii, vel uxor, in damnificando putarunt eum rei esse inscium, licet silentio graviter peccaverit, filios a peccato non impediendo. Ratio est, quia qualitas *patris* per se non sufficit ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum, nisi ex speciali officio publico ea impedire debeat.

682. — *R. ad 3^m Quærs.* Idem prorsus dicendum est de domino erga famulos, et de magistro erga discipulos, ac de patre familias, et etiam de omni Superiore non publice constituto ad damna inferiorum propulsanda.

R. ad 4^m Quærs. 1° BALDUS non tenetur ante sententiam resarcire damna subditorum, etiamsi aliquando gravis culpæ reus evaserit. Modus tamen denegandi restitutionem CAPRASIO, immitior cuique merito videbitur.

2° SABELLUS in nullo casu, ad damni reparationem, pro TITYRO erga HILARIUM, tenetur ante judicis sententiam. Imo, pro damno in ultimo casu facto, ne per sententiam quidem damnari potest, neque TITYRUS, neque SABELLUS, ejus dominus, quia pastor omnimoda libertate caruit. *V. Comp. n. 690 et seq.*

CASUS XII.

COOPERATIO NEGATIVA 2°.

1° SABINUS, famulus, videns extraneos, et aliquando conservos ipsos, imo et filiosfamilias, res varias domini subripere, non obstat, nec id hero denuntiat, sive ex incuria, sive etiam ex timore, ne horum animadversionem in se concitet.

2° ADRIANUS, agrorum custos, damnificatores renuntiare sæpius omittit. Si quando litem moveat, mox ejus minæ in vino a damnificatore oblato facile exstinguuntur.

3° ÆMILIUS, Confessarius, cum restitutionem ab aliquo pœnitente exigere ex incuria omisisset, a proprio moderatore jussus est ut ipse, loco pœnitentis, qui jam impotens evasit, restituat.

HINC :

QUÆR. 1° *An famuli damna domini non impediens ad restitutionem teneantur? et quid de SABINO?*

2° *An custodes, qui damnificatores non denuntiant, damnum ipsi resarcire debeant? et quid de ADRIANO?*

3° *An Confessarius, omittens culpabiliter pœnitentem monere de obligatione restituendi; supplere debeat? et quid de ÆMILIO et ejus Confessario?*

4° *An præpositi gabellarum fisco restituere debeant, si defraudantibus peccerint?*

SOLUTIO :

683. — *R. ad 1^m Quæ.* 1° Famuli non tenentur de damno ab aliis famulis, vel ab iis qui domi sunt, patrato, nisi res damnificata speciali eorum curæ fuerit commissa. Ratio est, quia famuli non videntur conducti ex justitia, nisi ad laborem, et ad res domesticas contra extraneos protegendas. Peccant tamen contra caritatem, si facile damna etiam domesticorum et filiorum impedire possint, nec impediunt, nisi metu gravi deterreantur. 2° Quoad damna ab extraneis illata, *probabilius* famuli tenentur ad restitutionem si ea sua culpa theologica non impediunt. Non desunt tamen auctores oppositam tenentes sententiam, nisi agatur de rebus famulis specialiter commissis. Eorum ratio est, quod obligatio non censetur includi in contractu vel quasi-contractu locationis, ex justitia, etsi famuli se credant communiter obligatos ex aliqua decencia et fidelitate. Attendantur igitur ad contractum locationis, et ad regionis consuetudines.

684. — *R. ad 2^m Quæ.* Certissime ad restitutionem tenentur custodes agrorum, vinearum, etc..., qui damnificatores non denuntiant, nisi de rebus levioris momenti agatur, quia ex officio damna impedire debent. Hinc patet quantæ injustitiæ sint rei custodes, qui, ad bibendum et manducandum invitati ab ipsis damnificatoribus, eos denuntiare omittunt; et a fortiori, si ab eis pecuniam accipiant. Hinc ADRIANUS adeo pronus ad misericordiam, bibita vini oblata lagena, absque misericordia ad restitutionem erga dominos læsos urgendus est, nisi forte damni parvitate excusetur.

685. — *R. ad 3^m Quæ.* Controvertitur. *Probabilius* negandum, quia Confessarius non tenetur ex officio bonum temporale neque pœnitentis, neque aliorum procurare, cum munus ejus animam tantum confitentis respiciat. Hinc injuste ÆMILIUS a suo Confessario obligatus est ad restitutionem; proinde Confessarius ipse ÆMILIO restituere debet.

686. — *R. ad 4^m Quæ.* *Affirm.*, generatim loquendo, quia ex officio sunt obligati ad invigilandum, et ad tributa diligenter exigenda, nisi quandoque in re levi benignius agant. *V. Comp. n. 691-693, 745.*

CASUS XIII.

COOPERATIO NEGATIVA 3°.

JANUARIUS, sartoris famulus, in heri officina, cum duobus aliis conservis, ætate minoribus, laborans, aliquid de segmentis aureis vel argenteis residuis ex alicujus optimatis vestibibus clepsit, vidente quidem, sed non viso magistro. Quod alii duo famuli advertentes, statim senioris exemplum secuti sunt. Licet vero singulorum furta seorsim sumpta, ratione habita illius magnatis, non videantur materia gravis, attamen, simul conjuncta, procul dubio materiam notabilem constituunt.

HINC :

QUÆR. 1° *An herus restituere debeat ex eo quod furta famulorum non impediverit?*

2° *An duo famuli minores contra justitiam peccaverint?*

3° *Quid de JANUARIO seniore dicendum?*

SOLUTIO :

687. — *R. ad 1^m Quæ.* Herus seu magister sartor, si novit furta famulorum, peccavit contra caritatem erga optimatem cujus vestes pretiosæ in ejus officina conficiebantur; imo non est excusandus a peccato gravi contra justitiam, nec proinde ab obligatione restituendi, et quidem in solidum. Ratio est, quia ex officio, seu ex implicito contractu tenebatur invigilare in rem speciali suæ custodiæ commissam, et ejus damnificationem impedire; adeoque damnum culpa sua non impeditum reparare debet.

688. — *R. ad 2^m Quæ.* Duo famuli juniores non peccaverunt graviter, sed leviter tantum contra justitiam. Ratio est, quia singuli quid leve tantum surripuerunt; nec præterea unica est actio moralis, qua in solidum singuli tenerentur; sed singulorum damnificatio fuit ipsis singularis, siquidem neuter fuit causa furti alterius. Secus vero dicendum foret, si communi consensu aut consilio illa segmenta aurea vel argentea abstulissent, quia tunc quisque causa totius damni illati existeret. *Elbel, de Peccatis, n. 588.*

689. — *R. ad 3^m Quæ.* Neque JANUARIUS peccavit graviter contra justitiam, saltem peccato injustæ damnificationis, nec proinde in solidum ad restitutionem adstringitur; quia ille, sicut alii, quid modicum tantum subripuit, nec fuit causa moralis efficax furti aliorum, sed tantum occasio, saltem *probabilius*. Etenim esset causa furtulorum ab aliis patratorum, si jussu, consilio, auxilio, etc..., in hæc furtula influxisset; sed nullo modo positive eos induxit ad furandum, nec insuper *ex officio* tenebatur eos a furando impedire. Ergo... Nec dicas JANUARIUM suo pravo exemplo alios induxisse ad damnificandum; nam scandalum quod præbuit, qua tale, non fuit contra justitiam, saltem efficaciter, sed tantum contra caritatem: ergo non tenetur JANUARIUS sub gravi ad damni illati compensationem, siquidem obligatio restituendi non oritur ex caritatis læsione, aut ex peccato inefficaci contra justitiam. *Recole dicta supra de damnificatore, n. 631 et seq. — Elbel, ibid. n. 588. — Sporer, etc.*

CASUS XIV.

MUTUS.

CANUTUS cernit furem segetes in prædio PAULI surripientem; non obstat, neque clamat, licet facile illum impedire possit. Imo, nedum eum cohibeat, vel denuntiet, ab eodem pecuniam accipit, ut de re altum servet silentium. Verum, cum confessus fuisset, arguitur a Confessario de peccato gravi, et obligatur tum ad pecuniam acceptam pauperibus erogandam, tum ad resarcienda damna a fure PAULO illata.

HINC :

- QUÆR. 1° *An graviter peccaverit CANUTUS furtum non impediendo?*
 2° *An teneatur ad restitutionem erga PAULUM?*
 2° *An pecuniam a fure acceptam dare debeat pauperibus, vel reddere furi, aut eam servare possit?*

SOLUTIO :

690. — *R. ad 1^m Quæs.* 1° Certo CANUTUS graviter peccavit *contra caritatem*, omittendo clamare, vel furem impedire, licet ex officio non fuerit obligatus ad damnum a prædio PAULI arcendum. Ratio est, quia omnes tenemur, ex generali principio caritatis, malum proximi impedire, quoties id facile, absque damno nostro proprio gravi, præstare possumus. 2° CANUTUS non peccavit *contra justitiam*, pecuniam accipiendo ad tacendum, si furtum jam consummatum fuerit; quia, per silentium promissum, non fuit causa efficax furti, seu non protexit furantem, sed tantum protexit furti patrati reum, contra pœnæ incurrendæ periculum; et proinde in ipsum furtum, ut causa efficax, influere non potuit: secus vero si pecuniam acceperit ante furti executionem, ita ut furi securitatem præbuerit.

691. — *R. ad 2^m Quæs.* CANUTUS tenetur ad restitutionem erga PAULUM, ut cooperator efficaciter in damnum influens, si accepit pecuniam a fure ante furtum, ita ut securitatem ei præstiterit, et fur inde animosior ad furandum factus fuerit; adeoque in eo casu loco furis damnum ab illo illatum reparare debet. A fortiori injustæ cooperationis reus foret, si pecuniam accepisset ad invigilandum, seu ad terga furi servanda. *Collet*, etc.

692. — *R. ad 3^m Quæs.* 1° Si CANUTUS non influxit in furtum, v. g. si, furto patrato, accepit pecuniam ad tacendum, ne furem prodatur, pecuniam servare potest, quia contractus est de re indifferenti, proindeque validus. Si vero, pecuniam accipiendo ante furtum, furi securitatem præbuit, ita ut hic animosior redderetur, juxta plures tenetur pecuniam reddere ipsi furi; quia contractus est nullus, utpote de re iniqua. Sed juxta alios non paucos, etiamsi CANUTUS fuisset aliquo modo cooperator per silentium promissum, probabiliter tamen pecuniam retinere posset post factum, tanquam pretium officii erga furem præstiti. *V. Comp. de Contr. in genere*, n. 760, et *Cas. 1, de Contr.*, n. 762 et seq.

CASUS

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS

SEU

De solidaritate. — De ordine restitutionis quoad cooperatores et creditores. — De tempore et modo restituendi. — De causis a restitutione excusantibus.

CASUS I.

SOLIDARITAS.

1° CÆSAR, inito cum duobus sociis consilio, perrexit nocturno tempore ad fructus in prædio CAII furandos; singulorum tamen furta seorsim spectata materiam gravem non æquarunt, licet collective sumpta damnum grave constituerint.

2° MELITO, cernens duos homines sarcinam mercium furtivam deferentes, illis se adjunxit, et onus cum iisdem bajulavit, unde pars aliqua reum ipsi tributa est. Alias, rescians tres homines pergere ad aream DAMIANI incendendam, perrexit et ipse, et cum eis simul ignem apposuit.

3° FLAVIA et ROSINA, inita commercii societate, pannum pro sexcentis francis infra infimum pretium emunt a BARBARA conjugata, quæ, inscio marito, illud vendit, ut pecuniam habeat ad superfluum ornatum sibi comparandum.

HINC :

- QUÆR. 1° *An CÆSAR graviter peccaverit, et teneatur ad totum damnum, omittentibus id sociis, reparandum?*
 2° *An MELITO, teneatur ad restitutionem in solidum, si pro parte sua non restituant socii, sive quoad sarcinam ablatam, sive quoad areæ incendium?*
 3° *An FLAVIA et ROSINA teneantur singulæ in solidum, altera restitutionem denegante?*

SOLUTIO :

693. — *R. ad 1^m Quæs.* 1° Teneris restituere in solidum, quando totum damnum tuæ actioni adscribi potest. Hoc autem fit in tribus his casibus: 1° quando cooperatio tua est *necessaria* ad damnum patrandum: v. g. si adjuves furem ascendente ad furandum, cum secus ascendere solus non potuisset; 2° quando cooperatio tua fit *cum stricta conspiratione*, ita ut, te non concurrente, damnum non evenisset; 3° quando actio tua est causa principalis damni, ut in mandato. *S. Lig. n. 579. — V. Comp. n. 695.*

2° CÆSAR procul dubio peccavit graviter, et, omittentibus sociis, in